



Universitätsbibliothek Paderborn

Unius Necessarii pars ...

Ubi agitur De Effectibus - qui primi, ac per sese ex notitia Dei consequuntur: De Æstimatione nimirum, in qua habendum, deque ardore, quo amandum est illud incomparabile objectum

Rogacci, Benedetto

Pragae, 1721

Cap. IV. De æstimatione, in qua Dei amicitiam haberi par est.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54508](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54508)

latum tot alios deligere, qui & nihilo nobis minùs merebantur vocari: & multò quàm nos meliùs deserviissent vocanti; illis tamen intrà domos relictis, nos ad suam peculiariter invitare dignatus sit. *Beatus, quem elegisti, & assumpsisti, inhabitabit in atris tuis: replebimur in bonis domus tuæ. (Ps. 64.)*

C A P U T IV.

De æstimatione, in qua DEI amicitiam haberi par est.

Anta est, & adeò creatas res omnes supergreditur DEI magnitudo, ut Ethnicorum sapientùm complures nullam esse homini cum eo posse veram, germanámque amicitiam censuerint. (*Arist. L. 8. Eth. c. 7.*) Nec sinè magna illi quidem rationis, verique specie. Quandoquidem amicitia, teste D. Hieronymo, proportionem aliquam inter partes suo nexu copulandas videtur necessariò requirere: (*In c. 7. Micheæ.*) *Et pares aut accipit, aut facit.* Quæ conditio si absit, poterit quidem inter inæquales naturas simplicis quæpiam benevolentiae affectio, at non etiam propriæ necessitudo a-
mi.

amicitiæ intercedere. Ac proinde, quantum-
cunque amor fuerit, quo vel equum suum
Caligula, vel platanum profecutus Xerxes tra-
ditur: (*Dio. L. 59. Ælian. L. 2.*) nemo verè
amicum fuisse sive illum equi, sive hunc pla-
tani dixerit. Quocirca si dignitatis interval-
lum, quo humanæ, & reliquæ dirimuntur ir-
rationales naturæ nullum veræ amicitæ inter
eas locum relinquit; quinam reperiri posse
illius locus inter hominem, ac DEUM vide-
bitur, quorum naturalis inæqualitas, utpote
alterius finiti, & alterius quovis fine ulterio-
ris omnem modum excedit? nullus certè oc-
currit. Imò, si humanæ ratiocinationis tru-
tinâ res pensaretur, nè DEO quidem in tota
suæ omnipotentæ amplitudine ulla ratio vi-
detur suppetere, qua reddere hominem pos-
set ineundæ secum amicitæ capacem: cum
neesse foret, novum illi esse impertiri, &
divinæ naturæ participem facere. Quod quis
tandem, non dicam hominum, sed vel Ange-
lorum per nativam intelligentiæ suæ vim, &
citra haustum divinitus lumen, factu possibile
existimâset? Sed enimverò, quod creatæ asse-
qui mentes nequeunt; non modò per infini-
tam suam virtutem præstare DEUS potuit,
sed & re ipsa per ineffabilem bonitatem suam
præ-

præstitit. Certissima siquidem fide constat, cuilibet nostrum rite comparato suam ab eo sanctificantem gratiam infundi: qualitatem videlicet miræ adeò, eximiæque indolis, ut novæ instar naturæ compotem sui animam ad divinum quoddam genus extollat, suoque Conditori affinem, & similem reddat, neque ultra illius proportionis expertem, quæ ad jungendum cum eodem socialis amicitie fœdus requiritur. Unde illa sunt ad Apostolos corporati Numinis verba: *Vos amici mei estis. Jam non dicam vos servos. Vos autem dixi amicos.* (Joa. c. 15.)

2. Hoc itaque constituto, si tanti decoris, pretiique est vel servum DEI esse, quanti, rogo, censendum erit esse amicum? Quæ humana dignitas, quæ regia sublimitas, quæ naturalis excellentia tam cælestis, divinæque appellationis splendore non obruitur? Longè præclarius hoc est, quàm in se uno colligere omnium pulchritudinem corporum, omnium Regum potentiam, omnium sapientum doctrinam, omnesque cælestium, quotquot sunt, spirituum naturales prærogativas: cum nihil hujusmodi ad eum, cui contigerit, divinæ amicitie capacem reddendum sit satis. Justa lance expendantur duo hæc vocabula, amicus,

cus, & DEUS: cùmque rite perspecta utriusque vis fuerit, tunc, quanti valeat amicum DEI esse, dignè æstimabitur. Quid DEUS sit à nemine intelligi meliùs potest, quàm si posteaquam summa, & exaggeratissima omnia in quocunque perfectionis genere sibi cogitando proposuerit; certissimè apud se statuatur, suas illas omnes ideas, atque species, utpote certis quibusdam terminis definitas præ incomprehensibili, & usquequaque infinita illius perfectione instar nihili esse. Tale est objectum, quod rudi aliqua sub imagine repræsentare nobis possumus, cùm de DEO cogitamus, vel loquimur. Amicus verò ex receptissima Zenonis, & M. Tullii definitione, est *alter ego*, vel *alter idem*: (*Apud Laërt. L. 7. & Cic. de Amic.*) Persona quædam nimirum ex duabus quodammodo personis conflata, & quasi novum, ac congemmatum esse illius, quicum amicitia intercedit: adeò ut ex amicis duobus nihil separatum alter ab altero habeat, sed propter omnimodam bonorum utrinque communionem possint mutuò sibi dicere: *Mea omnia tua sunt, & tua mea sunt.* (*Joan. c. 17.*) Quisnam igitur æstimare pro merito possit, quantæ felicitatis, gloriæque sit, quòd me inter ignobilem terræ vermiculum, infinitumque

que illud esse tam intima intercedat conjunctio? quódque excelsissimus universitatis totius moderator, cujus ipsammet servitatem maximæ sibi gloriæ vel supremi Angelorum ordines ducunt; tantæ quasi æqualitatis, imò etiam, ut sic loquar, identitatis fœdus inire mecum dignetur: *Neque jam dicat me servum, sed totam mecum communicet suorum infinitatem bonorum, éque naturali mea humilitate in tam proximum sibi gradum me sublevet; ut possimus ego ab illo, & ille vicissim à me, quasi alter ego, alterque idem, spectari? O statum, cujus altitudo humanam omnem non æstimationem duntaxat, verùm etiam admirationem transcendit. Scitè pronuntiatum à B. Joanne est: Propter hoc mundus non novit nos, quia non novit eum. (Ep. I. c. 3.) Neque enim quantæ sit dignitatis amicum DEI, hoc est, quasi alterum ipsum esse, ab eo percipi potest, qui infinitam DEI dignitatem haud satis intelligit. Unquàmne ego futurum sperâssem, ut vel mortalis quispiam Rex, esto ejusdem, cujus ego, naturæ intimo amicitiae nexu, atque fœdere dignaretur mecum conjungi, nedum ut supremus Rex Regum, & Dominus Dominantium ad hujusmodi conjunctionem, & penè æqualitatem me admittendum putaret? Nimis ah,*

su-

suprà quàm possemus mereri , aut cogitando assequi , *Magnificavit Dominus facere nobiscum* , in amicos assumens , quos ipsa inter servitia sua connumerare insigni pro munere habendum fuisset. *O quanta est misericordia Conditoris nostri ! servi digni non sumus , & amici vocamur.* (*Greg. Hom. 27. in Evang.*)

3. Amicitia hominum inter præcipua mortalis vitæ bona communiter ducitur : tum quia , cùm *amicorum omnia sint communia* , amicum nancisci tanti est , quanti alterum se acquirere , suumque esse , suas fortunas , suas vires , superadditâ amici personâ , viribusque , & fortunis augere ; tum quia nihil est sociali nostræ naturæ congruentius , nihil gustu suavius , quàm amare , & amari : cujus longè jucundissimi fructûs perpetuam , quamdiu integra manet amicitia , possessionem , atque usuram animus retinet. Quapropter non dubitavit affirmare Aristoteles , ingratham fore homini vitam , si hoc fructu in plenissima cæterorum affluentia careret. *Sinè amicis vivere , etiamsi cætera omnia bona suppeterent , eligeret nemo.* (*L. 8. Ethic. c. 1.* & *Ecclesiasticus nihil se testatur nôsse in terris , quod fideli amico æquandum putet. Amicus fidelis protectio fortis. Qui invenit illum , invenit thesaurum. Ami-*

co fideli nulla est comparatio, & non est digna ponderatio auri, & argenti contra bonitatem fidei illius. (c. 6.) Sed quamvis hæc verè de omni generatim amicitia dicantur; quotusquisque tamen non videt, tantò veriùs divinæ, quàm ulli alteri convenire, quantò cæteris quibuscunque amicis & opulentior, & suavior, & constantior in amando est amicus cælestis, quicum illa nos copulat? nam, ut à postrema hac illius dotè ordiar, quisquis amicitiaæ fœdus cum DEO iniit, nullam metuendi habet causam, nè hoc aliquando per ipsum dissolvatur: cùm neque ut sempiternus possit nobis à morte subduci; neque ut immutabilis, quam semel conceperit, sententiam, & voluntatem exueret; neque ut sapientissimus ob falsas suspiciones abalienari à nobis; neque ut nullo indigens novæ alicujus utilitatis gratiâ à nostra amicitia ad aliam quæstuosiore[m] transire; neque ut capacitatis immensæ propter quantamcunque recentium amicorum turbam de sua erga veteres amoris flagrantia vel tantillum remittere. In summa, tenax adeò propositi, fideique est, *ut non deserat, nisi priùs deseratur.* (Conc. Trid. Sess. 6. c. II.) cùmque semel quid pepigerit, priùs possint *cælum, & terra transferre*, quàm ipse à conventis resiliat. At non ità
ami-

amici mortales, qui præterquam, quòd in singulas horas fato nobis præripi queant, quàm sæpe nullam licet nobis justam causam præbentibus, vel ex lucrispe, vel ex tædio, & mutabilitate animi, vel ex inani aliqua suspicione, vel quòd alibi dignius suo amore objectum inveniant, magna ex parte diminuunt, imò & prorsus rescindunt, quam nobiscum amicitia necessitudinem sanxerant? Quare nemo perpetuam cum ipsis polliceri sibi conjunctionem potest: sed, quicumque illâ fruatur, assiduo in metu, & discrimine ejusdem amittendæ versatur: isque cum primis, & peculiari de causa huic obnoxius discrimini est, qui amici locum apud magnos Principes obtinet: cum hujusmodi homines tantò proniores cæteris ad dissuendas amicitias sint, quando propter suæ fortunæ eminentiam minùs se earum & legibus obligari, & subsidio indigere arbitrantur: præsertim quòd eorundem familiaritas clandestinis æmulorum insidiis, calumniisque appeti solet: & veluti altiùs hominem subvehit, sic ferè nunquam amittitur absque ingenti ex ea decidentium ruina. Quamobrem prudens ille apud D. Augustinum aulicus, comparans miseram, qua in Cæsaris regia premebatur, servitutem cum in-

D

cer-

certissimis fructibus, quos sperare ab eisdem gratia posset; palam demum perspexit, quanto sapientioris consilii foret ad facillimam, nullique non expositam cælestis Domini amicitiam quærendam sua studia transferre: conversusque ad unum ex sociis, qui aderat: *Dic, quæso te, inquit, omnibus istis laboribus nostris quod ambimus pervenire? majorne esse poterit spes nostra in palatio, quam ut amici Imperatoris simus? Et ibi quid non fragile, plenumque periculis? Et per quot pericula pervenitur ad grandius periculum? Et quamdiu istud erit? Amicus autem DEI, si voluero, ecce nunc fio.* (L. 8. Conf. c. 6.)

4. Verum fac, certissima, immobilis, & perpetua cum hominibus amicitia esse possit; eritne insuper tam jucunda, & suavis, quam quæ intercedit cum DEO? nemo id sibi persuadeat. Nam neque sincera esse potest amoris jucunditas, ubi ingratis qualitatibus objecti amabilitas permiscetur; neque ullum reperire est inter mortales amico usquequaque amabilem, ut nullis laboret seu naturalibus, seu ad mores pertinentibus vitiis, quæ in quotidiano, & familiari usu observata, minus eucharum, minusque delectabilem illius consuetudinem reddant. Secus omnino, ac in

cæ.

cælesti, perfectissimóque amico usuvenit, cujus in natura, atque moribus tantùm abest, ut diutina consuetudo ingrati, otiosíque aliquid possit deprehendere, ut clariùs semper, clariùsque incomprehensibilia illius decora ostendens, jucundio rem semper cum eo amicitiam efficiat. Quocirca non modò *non habet amaritudinem conversatio illius, nec tædium convictus illius, sed lætitiã, & gaudium, (Sap. 8.)* verùm etiam, quantò longior, magisque assidua conversatio est, tantò ex ea plus hauritur delectationis, & gaudii.

5. Denique ut ad lucrum progrediar, quod ex amicitiiis percipitur, expendendũ tibi, Lector, relinquo, quàm immensum id ex DEO referat, quisquis ei amicitæ nexu conjungitur. Cùm enim proprium amicorum sit, vel ex utroque unum fieri, vel utrumlibet in duos geminari; ex eo nexu id consequitur, ut unum quid cum DEO evadat, eúmque sibi acquirat, & propriam rem possit vocare, non alterius cujuscpiam hominis esse census, & vires; sed infinitum esse, immensissimas opes, & omnipotentem vim supremi illius Domini, à quo, dum amicis illius accensetur, in ejusdem, & quorumvis illius bonorum communionem admittitur. Si ergo ma-

gnorum quorumlibet Principum amicitia, quamvis nihil emolumenti secum afferat, ultra finitum, exiguumque illud, quod ipsi sunt, atque possunt, tanti nihilominus fit, & sollicitè adeò ab hominibus quæritur, ut eam pro suprema votorum suorum meta, & amplissimo habeant laborum quorumvis præmio; arguat hinc quilibet, quanto habenda sit in pretio Regnatoris supremi amicitia, nunquam, quod ad ipsum spectat, deficiens, nectare omni suavior, adeoque fructuosa, ut secundum usurpatam à Doctore Angelico phrasim, (1. 2. qu. 112. a. 1.) *Deficet* hominem? Quæ tam mira efficacitas à B. etiam Joanne attributa ipsi est, dum eam nuncupavit *DEI semen*: (Ep. 1. c. 3.) quasi innuens, ceu ex semine oleæ nihil præter oleas, & que cedri semine nihil præter cedros progerminat; sic ex gratia sanctificante, utpote quæ semen DEI est, non nisi Deos nasci.

6. Ego sanè tantum id excellentiæ mecum cogitans, temperare mihi nequeo, quin cum Vate Regio admirabundus exclamem: (Ps. 138.) *Nimis honorificati sunt amici tui, DEUS, nimis confortatus est principatus eorum.* Neque video, quid præterea in supernaturali hac immensissima dignitate desiderandum super-
sit:

fit: nisi fortè quis cenferet, eo nomine illius pretium diminui, quòd decus fit nulli non hominum pro suo arbitratu contingens, neque ideo ad acquirendum arduum, seu ad habendum rarum: quæ tamen duæ conditiones ubi defunt, nullum bonum multum æstimationis mereri videtur. Sed nihil futilius tali objectione est. Ut enim à diluenda nimix facilitatis nota initium capiam, quonam modo facilis plùs nimio divina existimari potest gratia, qualitas omnem non creatarum duntaxat, sed & creabilium caufarum efficientiam sublimitate sua excedens, ut ad eam producendam non minori, quàm infinita, & omnipotentì virtute opus fit? Quòd si sub facilis rei nomine accipiatur, quòd citra proprium laborem ex mera alterius liberalitate obtinetur; nego primò hanc facilitatem ad extenuandum cuiuslibet boni pretium sufficere: & nego insuper, etiam in prædicta significatione perfacilem existimari amicitiam DEI posse. Et quidem, non quidquid ità facilè homini sit, parvo in pretio esse habendum, pro sexcentis aliis, quæ ad manum forent, exemplis, fatìs, superque una evincit hypostatica unio: ex merito DEI munere, & finè ullo laboris impendio, Christi humanitati impertita: qua tamen

quid cogitari excellentius, aut divinius potest? Quod verò neque in hoc sensu perfacilis possit dici amicitia cum DEO, tot negationis meæ suffragatores habeo, quot in terris homines degunt. Cùm non unus duntaxat, vel alter, sed universi ferè experiantur, quot cum perduelli natura dimicationibus, quàmque assiduo labore, & conatu opus sit, ad divinam gratiam suis in animis sartam tectam tuendam. Quæ quidem cuilibet volenti venum exposita, & parabilis est: sed tantùm nihilominus à mercium parvò constantium vilitate abest, ut plerique mortalium arduam præter modum esse, nimiùmque carò emi querantur: nec pauci difficultatum sese objicientium metu, omnem illius obtinendæ spem, atque curam abjiciant. Unde licet colligere, illius possessionem neque nullo laboris sumptu constare; &, tametsi gratis omnino contingeret, futurum nihilominus pro innata sibi excellentia bonũ summopere æstimandum, imò humana omni æstimatione sublimius.

7. Idem ferè ad alterum quoque objectionis caput, raritatis nempe defectum responderim. Nam neque quòd bonum aliquod rarò, & paucis contingat, naturalis, verique illius valoris augendi; neque quòd ad

ad multos, imò & omnes pertineat, ejusdem extenuandi vim per se habet. Quare nemo vitæ usuram minus esse bonum existimat, quòd innumeri eâ in mundo fruuntur, quàm si duo, trésvetantum illius compotes forent: nec virtus, aut doctrina, vel bona valetudo minùs quemquam perficiunt, si eas simul cum multis, quàm si unus inter omnes possideat. Imò tantùm à vero distat, raritatem certum esse, ac perpetuum potioris boni argumentum, ut prorsus è contrario, quæ maximè promiscua, & communia sunt bona, ceu sentiendi vis, rationis usus, arbitrii libertas, & hujus generis alia, plurimi itidem ab hominibus fiant. Sit ergo, prout objicitur, DEI amicitia, qua ego utor, decus tralatitium, & mihi cum plurimis, imò etiam cum omnibus, qui illud velint, commune: justane idcirco mihi suppetit ratio de ea minùs gaudendi? Neutiquam certè: velut neque illa minorem me perficiendi, & cohonestandi vim obtinet, quàm si privilegium foret mihi uni concessum. Quamvis enim in posteriore eventu reliquæ hominum multitudini dignitate antecellerem; non majoris tamen gloriæ est ignobili vulgo antecellere, quàm magnis esse Principibus parem. Præterquam quòd mea illa

inter ceteros exuperantia, utpote spiritualis; intraque animum penitus latens nullo modo sciri ab iis posset, nec propterea me admirarentur, sibi que ceu superiorem praeferrent: atque ita nullum inde sive intimae, solidaeque dignitatis incrementum, sive exterioris gloriae fructum nanciscerer. Satis itaque amicis DEI esto inaeestimabilis ejus praestantia, & felicitas: neque ex sociorum multitudine causas ducant, eam parcius aestimandi, sed solum tantò custodiendi accuratius, quantò majori ignominiae illis foret etiam communi quam plurimis praerogativa carere.

8. Reliquum est videre, quid agendum ei sit, qui explicata haecenus divinae amicitiae decora probe intellexerit, nè conceptam in animo illius aestimationem otiosam, suoque fructu vacuam relinquat. Debet itaque is primò amicorum DEI felicitatem, & gloriam humanis quibuslibet aliis bonis praeferre: sive illa corpus perficiant, ceu integra valetudo, virium praestantia, formae venustas; sive ad animum spectent, ceu ingenii perspicacitas, eruditio, eloquentia; sive extrinsecus hominem decorent, puta generis claritudo, titulorum splendor, opum affluentia, imperii potestas. Adeò ut ex duobus, quorum al-

alter hisce omnibus prærogativis, & ad summum quidem earum modum condecoretur; alter verò nihil præter DEI amicitiam præclararum, atque eximium, imò nihil non aspernabile exhibeat; minimè hunc dubitet primo illo nobiliorem, ac feliciorem putare. At mancipium est triobolare, & compedibus tritum: at mendicabulum sordibus & squalore obsitum: at homuncio finè ulla formæ, ingenii, solertiæ, doctrinæque commendatione, mentis sensu hebes, corpore abnormis, *opprobrium hominum, & abjectio plebis.* Quid tum? Itane, & quævis alia seu naturæ, seu fortunæ dehonestamenta in tantam eum possunt vilitatem, & contemptum abjicere; quin immensò altiùs assurgat, plùsque æstimationis mereatur, ac pretii ex eo, quòd amicus interea DEI sit: infinitæ nimirum illius naturæ, dignitatis, opulentæque particeps, & supra ultimos naturalis cujusque excellentiæ terminos ad moralem quamdam cum ipso universitatis totius Conditor, atque Domino unitatem evectus? Næ humanos illos, & naturales defectus magni pendere, imò vel minimam eorum rationem præ hac inæstimabili excellentia ducere, longè majoris insipientiæ specimen foret, quàm si Alexandro Macedo-

ni, vel Augusto Cæsari plus obfuisse ad dignitatem, & gloriam censeremus, quòd calceos farciendi, & lutea vasa effingendi artem ignoraverint: quàm contulisse, quòd tantam orbis terræ partem suo imperio subjectam habuerint; omnibusque hinc indè ad examen vocatis, & adversa fronte compositis, nîl dubitaremus, gregarium quemvis futorem, aut figulum tam eximiis Principibus honorabiliorem putare. Ità sanè: (dixi, atque iterum dico) longè illius major, quàm hujusce judicii perversitas foret. Cùm extra omnem controversiam sit, majori longè intervallo divinam amicitiam terrenæ cuilibet dignitati antecellere, quàm summa inter dignitates terrenas mechanicarum infimæ artium præcellat: ac proinde multò minoris momenti rem DEI amico deesse, dum humanis quibusvis dotibus caret, quàm summo Principi, quòd vulgaris cujuscumque opificii destituatur peritiâ. Quapropter si fatuus, & communis sensûs expertus ab omnibus duceretur, qui tantilli defectûs causâ Alexandros, & Augustos veteramentario futuri postponeret; quantò minus mentis, judicii que habere est putandus, si quis ob ignobilitatem stirpis, ob decorum naturalium inopiam, obque alias quascunque terreni

ni ejusdem generis imperfectiones minoris faciat, & vel eminentissimo, ac præstantissimo quovis mortalium inferiores eos ducat, qui amicæ cum DEO necessitudinis privilegio supra totius naturæ ordinem, omnésque illius prærogativas consistunt?

9. Simile primo hætenus dicto alterum itè practicum judicium est, quod à justo sui æstimatore amicitia DEI exigit: nempe ut illam, ceu in aliis, ità & in se ipso omnibus pluris faciat tam fortunæ, quàm naturæ ornamenti: nec proinde ab his, sed ab illa mensuram dignitatis, & causas lætitiæ suæ petat: displicens sibi, quandocunque illius censu inferiorem sociis se videt, etiamsi horum copia, & exaggeratione iis antecellat: nihilque è contrario ægritudinis capiens, quòd hæc sibi vel penitè desint, vel exiguum intrà modum contigerint, dummodo in illa non pœnitendos progressus se fecisse animadvertat; Themistoclis ritu, atque exemplo, qui æquo animo tulit, imperitum se lyristen videri, iis, à quibus deridebatur, respondens, satis sibi esse alterius præstantioris artis scientiam, qua posset *civitatem ex parva magnam, èque obscura illustrem efficere.* (Plut. in vita.) In summa: *Hæc dicit Dominus: non gloriatur sapiens in sa-*
pi-

pietia sua, & non gloriatur fortis in fortitudine sua, & non gloriatur dives in divitiis suis, sed in hoc gloriatur, qui gloriatur, scire, & nosse me, quia ego sum Dominus. (Jer. 9.) En ubi vult DEUS nostram à nobis gloriam omnem constitui: in eo nempe uno, quo ipsi copulamur, in ipsius cognitione, observantia, & honore. Et jure optimo quidem: nam neque ullam homini licet tam præclaram naturæ dotem in se agnoscere, quæ immenso supernaturalium decorum splendore non omnino obscuretur; neque tam pravus quisquam est suarum rerum æstimator, ut singulari quapiam prærogativa excellens, de aliis, quæ longè inferioris notæ, cùmque vulgo communes sibi sunt, magnopere gloriandum existimet: quemadmodum exempli gratiâ Hadrianus Cæsar, quanquam inter privatæ conditionis suæ studia, nonnullam cucurbitas graphicè pingendi facultatem sibi paraverat; (*Xiphil. in Hadr.*) cùm tamen ad solium evectus fuisset, & Augusto sceptri gestamine penicillos commutasset, probro sibi potius, quàm laudi vertisset, suum illud qualecunque artificium ambitiosè ostentare: tanquam decus in peculiari ejus professore aliquatenus commendandum, sed nimis indignum, quod à tanto Principe pro eximio

ven-

venditaretur imperatoris suæ conditionis , personæque ornamento. O quàm probè hujusmodi veritatem callebat , expressamque magnus Doctor Gentium reliquit in suis illis ad Galatas verbis : (c. 6.) *Mihi absit gloriari , nisi in Cruce Domini nostri Jesu Christi ?* Observâstine , inquit Chrysostomus , vim , & pondus loquendi ? *Non dixit , ego non glorior , aut nolo gloriari : sed absit , ut glorier : quasi de re portentosa loquens , abominatus est. (In Ep. ad Gal.)*

10. Debet tertio idem , si idoneas habeat causas , se inter DEI amicos adscriptum censendi , spiritus capere tantæ huic dignitati suæ congruentes : ac veluti per ipsam ex humana sua conditione in novam migraverit nimum quàm superiorem naturam ; sic oblivisci , quòd humanæ conditionis unquam fuerit , quòdque constet corpore , & in terris etiamnum degat , Chrysologi verbis se alloquens : *Quid commune cum terris tibi , qui confiteris tibi genus esse de cælis ? (Serm. 71.)* Nequaquam tu ultra ille esse pergis , qui ex Adami creta in lucem prodiisti animal ærumnosum , & vile. Plus quàm terrena , plus quàm humana , plus etiam quàm cælestis , & Angelica conditio tua est. *Inferus admirabili privilegio es in ipsum.*

summet supremi Authoris tui genus: constitutus per gratiam in eodem illo ordine, in quo ille est per essentiam: admissus ab eo in amici sui jura, ac proinde in opum suarum omnium, divinæque ipsius naturæ consortium. Paucis, unum quid cum eo confas, *alter ipse es*, & quasi quidam per adoptionem DEUS. Quidni ergo dignos tam sublimi gradu sensus animo concipis? *Quare tibi tam vilis es, qui tam pretiosus es DEO? Quare sic à DEO honoratus taliter te ipsum inhonoras?* (Chrysol. Serm. 148.) Nè ità quæso desipias, sed *agnosce dignitatem tuam, & divinæ consors factus naturæ noli in veterem vilitatem degeneri conversatione redire.* (S. Leo serm. 1. de Nat. Dom.) Veteris hominis affectus, morésque abdicæ: indignum vel obtutu, nedum amore tuo existima, quidquid imo hoc in orbe speciosum, & magnificentum à cæcis, fatuísque appellatur, vel deridendi solùm causâ, & cum fastidientis supercilio intuere. *Terram nesciat, amorem carnis ignoret, partem pulveris non requirat, nihil in se vitis licere permittat, qui DEUM Patrem cælestem repetit ad naturam.* (Chrysol. serm. 68.) Duc postremò, quemadmodum supernaturalis tui statûs celsitudo postulat, vitam omnino cælestem, vitam purorum spirituum propriam,

vitam DEO dignam. Talia, inquam, sentire, & sibi met occinere, & retractare animo convenit, si respondere novi statûs sui altitudini vult, & dignè sustinere personam adeò cuilibet alteri præcellentem, ut persona est hominis in DEI amicum adlecti. Quippe, hanc esse communiter hominum consuetudinem cernimus ex tacito naturalis rationis, & convenientiæ instinctu ortam, ut, qui ex humili dignitatis gradu ad longè excelsiorem conscendit, pro ea loci mutatione sensus itidem, affectûsque, & mores commutet: multa despiciens, quæ prius mirabatur: parùm iis contentus, quæ illius animum antea explevissent: probro sibi vertens, quæ olim affectabat quærere, & quibus assueverat, ministeriis jam fungi: nec seu in habitu corporis, seu in sermone, atque incessu, seu in reliquo ullo vitæ actû quidquam plebejum præfereans, quidquam, nisi exaggeratum, & magnificentum spirans, juxta illud Isaïæ effatum: (c. 32.) *Princeps ea, quæ sunt digna Principes, cogitabit.* Quare Servio illi Tullio, qui, *ancillâ genitus, sceptrum, & diadema Quirini, & fasces meruit*, dictum non immeritò est apud Livium, (L. I.) *Quis sis, non unde natus sis, reputa*: scitumque est responsum, quo alius de-

deinde Romanus Cæsar haud passus est progredi ulterius verbum *Meministi*, ab antiquo suo familiari prolatum de , nescio, qua re, ad privatam ipsius conditionem spectante: subjiciens confestim, priusquam is quidquam certi adderet, *Non memini, quid fuerim.* (*Tiber. ap. Sen. L. 5. de Benef. c. 5.*)

II. Consequens quartò est, ut nequeat finè alto stuporis, horrorisque sensu intueri, quàm flocci fiat, quantaque cum facilitate projici ab hominibus soleat hic inæstimabilis thesaurus. Cùm passim, & ubique tam multi, vel exigui spe lucri, vel minuendæ apud socios æstimationis suæ metu, vel sordidæ juxta, atque evanidæ voluptatis cupidine, vel levissimis quibusque aliis de causis, nîl dubitent, divinæ amicitiae nuntium remittere, deque excelsissimo, & regale quodvis fastigium supereminente illius gradu in teterrimam divinæ offensionis abyssum sese ultrò præcipientes agere; qua ruina nullam post homines natos luctuosiore, funestamque, & horridam magis tragica exhibuerunt theatra. Et verò, si magni alicujus Regis gratiâ, vel primariæ dignitatis spe, aut luculenti censûs possessione exciderint; quis eorum mœstitiam, animique dejectionem sat explicet? Videas fron-

te

te nubila, vultu confuso, attonitos, gemebundos sibi, fortunæque iratos nîl solatii admittere, nullam quietis partem capere, vitæ, ac lucis usuram odisse; de restibus, de venenis, deque aliis voluntariæ necis generibus deliberare. Cùmque externas id genus rerum pereuntium, & supervacuarum jacturas adeò intoleranter excipiant; hanc longè gravissimam, quippe omnino necessarij, nunquam per se occidui, & pretio incomparabilis boni, tam pacatè, tam æquo animo, tam citra ullum mœroris sensum, ullamque oris mutationem ferunt; ut eâ icti nihilo seciùs, quàm antea lætitiæ indulgeant, jocis vacent, & contenti sorte sua vivant, perinde quasi dicerent: *Peccavi, & quid mihi accidit triste?* (*Eccles. 6. 5.*) O amentiam planè incredibilem, & portenti simillimam! Quid mihi accidit triste? Audi, quicumque ita sentis, nec cohorresce, si potes. Supremum universitatis totius Conditorum, ac Dominum, amicum tibi antea, infensissimum hostem jam habes: quod perinde est, ac beatissimæ illius hæreditatis jus æternæ illius ultionis reatu mutasse, eque nobilitate plùs quàm regali, plùs quàm Angelica in conditionem decidisse viliorem, quàm mancipii, aut etiam jumentum. Et tan-

E

ta

ta infelicitas res tibi videtur, de qua sereno vultu, animoque possis dicere: *quid mihi accidit triste?* Certè tam horrida isthæc catastrophe est, tamque singularis, & mira eam ultro fubeuntium vecordia, ut, si fortè audiremus, nescio, quem in Æthiopia, vel India extitisse, qui regni adipiscendi gratia haud veritus sit pejerare, sive alia capitali noxa DEI inimicitiam promereri, inane procul dubio cõmentum, & nulla dignum fide id videri nobis deberet. Quid enim? eõne stoliditatis aliquem progredi, ut mortalis regni pretio DEI amicitiam, supremæque illius naturæ, beatitudinis, gloriæ, ac potentia consortium venundet? fieri nullo modo potest. Amentia est nimium enormis, nimium veri dissimilis, nimium à fide abhorrens, fabulisque adnumeranda, imò omnium fabularum vanitatem exuperans. Quod si cordati plures viri summa asseveratione, additõque jurejurando confirmarent, indubitatissimè, & suis quidem sub oculis id peractum fuisse, tum verò certæ eventûs monstruosissimi fides in tantam sui admirationem deberet nos rapere, ut diu attoniti, & silentio defixi, vix colligere animum à nimio stupore possimus. Sed, quòd portenta hujuscemodi assiduè, & ubivis locorum

inflaurari cernantur, neque suam interim nativam deformitatem palàm ferant, in causa est, cur quàm plurimi ea vix advertant, nedum pro eo, ac par est, perhorrescant. Quamquam, si fateri verum volumus, ipsa hæc rei tam absurdæ frequentia, quemadmodum rationi magis dissentanea, & perniciosior humano generi est: ità plus admirationis, atque horroris deberet in cujusbet animo eam rite ponderantis excitare.

12. Pertinet denique ad idoneum divinæ amicitix æstimatorem, firmissimum in animo habere, inque dies altiùs defigere, illius quovis pacto sibi conservandæ propositum: adeò ut nullis rerum humanarum illecebris dimotum sese unquam iri ab hac voluntate arbitretur: & si quando hostis tartareus eum tentare institueret, non quidem hujus, vel illius vulgaris boni promissis, sed exhibitis ipsi ob oculos, ceu quondam Christo Domino, *Omnibus regnis mundi, & ampullosa illa pollicitatione adjecta: Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me. (Matt. 4.)* pro deridiculo id genus tentamenti habeat: quemadmodum Demetrius ille Philosophus derisisse fertur quinque millia aureorum à Cajo Cæsare sibi oblata, nè dignam quidem summam judicans, qua non

accepta gloriaretur: cùm miraretur dementiam ejus, quòd se putasset tanti posse mutari. (Sen. L. 7. de Benef. c. 11.) neque ardui plùs nimiò conatùs, heroicæque generositatis opus existimet: constanter rejicere, quidquid pretii pro divina gratia in grandifono illo, *Hæc omnia*, stygius nundinator sibi offert: sed vultu in admirationem, ac risum composito, ei respondeat, quæ non tuæ istæ conditiones sunt, Satana? Adeone fatuum negotiatorem me putas, ut pro terreni hujus orbis imperio, puncti nimirum exigui, vixque ultra temporis punctum obtinendo, divinam amicitiam commutem, per quam humana conditione altior, & ejusdem cum supremo meo Authore ordinis sum: quæque mihi tum excellentissimæ illius naturæ communionem, tum immortalis, ac beatissimi regni hæreditarium jus tribuit? Nónne talis venditio longè stultior, magisque damnosa esset, quàm si Assverus centum viginti septem provinciarum Dominus, tanti regni possessionem pro depicto in tabula mundi globo commutaret? *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.* At unde *cadens*? nempe ex cælo in tartarum, ex DEI amico, atque filio in tui mancipium. Apage, apage in malam crucem veterator nequissime! *Regna tua*

recum sint in perditionem. Jacturæ enim, & ruina, quam suades, haud digna compensatio essent, nedum omnia unius mundi regna; sed neque omnes ii mundi, queis ambitio Alexandri inhiabat. *Bonum gratiæ unius majus est, quàm bonum totius universi.* (S. Th. 1. 2. qu. 113. a. 9.) Ità, dico, obfirmatam in bono, juratæque DEO fidei tenacem, & omnibus diaboli aggressionibus fortiorem efficere animam debet justa divinæ gratiæ æstimatio. Quare inter considerationes, ad peccati fugam incitare aptas, nulla fortasse, iis exceptis, quæ Theologicæ charitatis sunt propriæ, inveniri efficacior potest, quàm si incomparabilia bona expendantur, quibus culpa lethalis nostram cum DEO amicitiam dissolvendo nos exuit. Siquidem jacturam hîc habemus præ oculis omnium, quæ concipi animo possunt, gravissimam; neque illam quidem incertam, & remotam, cujusmodi sunt posthumæ vitæ mala, sed maximè præsentem, quæque in ipso peccandi actu confestim subitur: ut proinde illius terror debilitari nequeat, illecebrosa illa spe, qua dæmon inducere ad peccandum solet omnes ferè eòs, qui peccant: futurum persuadens, ut, quamvis sempiternæ mortis reatu se in præsens obstrinxerint, illam tamen

nemini non parato pœnitentiæ remedio quàm facillimè evadant. Esto, ità se res habeat, reponit, qui rite compertum, impressumque menti habet, quantò intervallò humanis quibuslibet bonis præcellat divinæ amicitiae possessio. Esto propositi hujus mihi criminis pœnam non solum possim eo remedio vitare, sed etiam vitaturus certissimè sim. Parùmne tamen supplicii est, quòd peccantem DEUS illicet ex amicorum suorum albo expunget, imò etiam in hostis loco habebit, capitali odio prosequetur, nec sinè abominatione eum intueri poterit? quem alioquin sceleris purum pergeret singulari benevolentia completi, naturæ suæ consortio dignari, eoque sibi nexu adstringere, qui vel sanguinis nexu arctior, intimiorque, quos copulat, in unitatem, & quidem simplicissimam, qualis est spirituum, redigit, juxta illud Apostoli: (I. ad Cor. 6.) *Qui adhæret DEO, unus spiritus est.* Nimis, ah nimis grave, & quibuslibet lethalis culpa emolumentis præponderans hoc genus damni est, quod ab ea nunquam potest sejungi. Et unum hoc, etsi cætera desint omnia, fati mihi, supérque est, ut avertendi illius causâ summum quodlibet ex præsentis vitæ seu bonis repudiare, seu malis subire instar nihili habeam.